

De L. Accio et M. Pacuvio

veteribus Romanorum poetis tragicis.



Romanos pro ingenio suo artem tragicam, ex qua neque sibi neque rei publicae emolumentum fore sperarent, omnino fere neglexisse eamque vilissimi esse pretii per longum tempus opinio erat vulgaris eoque probabilior, quod praeter Senecae fabulas satis languidas tragoediae Romanorum, quae artis quidquam atque ingenii spirarent, servatae erant nullae. Neque Graecorum sane, quorum fabulas imitando transferebant, sublimitatem, praestantiam, gravitatem Romani attigerunt: sed quamquam suorum primordia ludorum scaenicorum neglexissent, illos tamen in arte tragica suo confisos ingenio magno cum studio et labore versatos esse et non nihil profecisse Langius¹⁾ et Ribbeckius²⁾ docuerunt, quorum argumenta alii redarguere frustra conati sunt. Nam quod inter alia multa negaverunt Romanos in tragoedia egregium quiddam ac perpolitum praestare potuisse, cum philosophiae, quippe quae homines rerum naturam, rationem, vim doceret, disciplinis nondum imbuti fuissent, vix quidquam futilius cogitari potest, nisi forte Homerum philosophiae studiis incubuisse censemus.

Atque ut summatim rudimenta artis tragicae Romanorum percurramus, Livius Andronicus quidem haud alia laude dignus videatur, quam quod opera in vertendis Graecorum poetatis collocata Romanorum animos primus ad Graecorum poesin advertit. Quem qui sequitur Naevius arte tragica non multo videtur superasse, quamquam ipsius Horatii aetate 'mentibus haeret paene recens.' Hor. ep. II 1,53. Naevio aetate minor fuit Ennius, qui in tribus tragoediae principibus habetur atque imprimis a Cicerone summis semper laudibus celebratur. Namque non solum linguae etiam tum rудis difficultates mirum quantum superavit, verum etiam in vertendis et imitandis Graecorum fabulis summo ingenio usus est, ut brevi tragoedia ad perfectionem quandam ascenderit.

Sed inter Romanorum tragicos sine dubio Marcus Pacuvius et qui quinquaginta fere annis natu minor erat, Lucius Accius facile principatum obtinere videntur.

De hisce igitur artis tragicae principibus ita disserere nobis in animo est, primum ut veterum de illis testimonia collecta proponamus, tum ut ex fabularum reliquiis, quae illorum nomine feruntur, perspicere studeamus, quatenus et veteres et recentiores viri docti de utriusque tragoediarum natura atque indole recte dijudicaverint.

¹⁾ Vindiciae trag. Romanae. 1856.

²⁾ Die röm. Tragödie im Zeitalter der Republ. Op. 1875. Scaenicae Romanorum poesis fragmenta, Lips. 1871.

Atque ut iudicium faciamus quam maxime sincerum, alterum poetam cum altero comparantes in tractanda materia progrediamur. — Cum vero de arte cuiuslibet poetae nihil ab omni parte certum contendere queat, nisi qui opera eius diligenter cognoverit iterumque perlegerit, sane magnopere dolendum est, quod temporis iniquitate tragoei- rum quas illi scripsere fragmenta tantum ad nos pervenerunt, quae tam obscura sunt magnamque partem corrupta et mutilata, ut ad poetarum ingenia recte cognoscenda parum nobis afferre videantur lucis. Neque minus iniqua fuit fortuna operibus eorum scriptorum, qui in scaenico potissimum argumento describendo versabantur, cum clarissima eiusmodi opera Varronis, Suetonii aliorumque maximam partem perierint. Itaque quae de illis poetis comperire velis, omnia fere ex operibus eorum scriptorum sunt haurienda qui passim artem, ingenia, opera eorum vel commemorant vel fusius exponunt neque raro ipsos versus ex illorum tragoeiis depromptos ad exornandam suam orationem adscripterunt.

Jam ut veterum testimonia, quae de Accio et Pacuvio accepimus, accuratius spectemus, plerique scriptores in ea re consentire videntur utrumque arte tragicum sumopere emituisse laudemque meruisse insignem.

Ac primum quidem Ciceronis aetatem scimus magnam e tragicorum versibus voluptatem perceperisse neque in iis laudandis modum servasse.

Ciceronis autem iudicij iure summa habetur ratio, quippe qui suis oculis fabulas in scaena spectaverit. Qui saepe numero summis laudibus tragicos effert, versus eorum orationibus exornandis inserit, ex fabulis haurit eloquentiae atque morum exempla, philosophiae sententias, consilia vitae publicae atque privatae. Afferam verba quae leguntur de orat. III 7:

'Atque id primum in poetis cerni licet, quibus et proxima cognatio cum oratoribus, quam sint inter se Ennius, Pacuvius Acciusque dissimiles, quam apud Graecos Aeschylus, Sophocles, Euripides, quamquam omnibus par paene laus in dissimili scribendi genere tribuatur.'

De opt. gen. orat. 6:

'Nec Andromacham aut Antipopam aut Epigonos Latinos recipient; sed tamen Ennium et Pacuvium et Accium potius quam Euripidem et Sophoclem legunt. De fin. I 2:

'Quis enim tam inimicus paene nomini Romano est, qui Ennii Medeam aut Antipopam Pacuvii spernat aut reiciat, qui se iisdem Euripidis fabulis delectari dicat.'

Atque Varro, summus ille antiquitatis index, Pacuvium apud Gell. VII 13 verum et proprium ubertatis esse dicit exemplum. Neque vero Vellei Paternuli ommittam iudicium hoc II 9:

'Clara etiam per idem aevi spatium fuere ingenia in togatis Afranii, in tragoeiis Pacuvii atque Accii usque in Graecorum tragicorum comparationem evecti magnumque inter hos ipsos facientis operi suo locum, adeo quidem, ut in illis limae, in hoc paene plus videatur sanguinis fuisse.'

Jam miris quidem laudibus Vitruvius atque Columella Accium celebrant, quorum alter de re rust. I praef. Latias Musas adytis suis receperisse Accium et Vergilium eorumque procul a secundis sacras concessisse sedes praedicat; alter IX praef. 16 ita disserit:

'Accii autem, inquit, qui studiosi delectantur, non modo verborum virtutes, verum etiam figuram eius videntur secum habere praesentem.'

Multo pluris sane Quintiliani, prudentissimi illius veterum scriptorum censoris laudes aestimandae sunt, quibus poetas illos effert inst. orat. X. 1,97:

'Tragoediae scriptores veterum Accius et Pacuvius clarissimi gravitate sententiarum, verborum pondere, auctoritate personarum. Ceterum nitor et summa in excolandis operibus manus magis videri potest temporibus, quam ipsis defuisse. Virium tamen Accio plus tribuitur, Pacuvium videri doctiorem, qui esse docti affectant, volunt.'

Quod quidem Quintiliani iudicium eo maioris est momenti, quod eodem loco Romanos in comoedia claudicare dicit et inter laudem nimiam et acerbam vituperationem medium servat. Sed quid plura afferam, cum testimonii allatis satis appareat, quanta laude floruerint Accius et Pacuvius non solum apud aequales, sed etiam apud posteros, qui versus eorum libentissime scriptis suis inserebant 'iucunditatis gratia.' (Quint. inst or. I, 8, 10.) Neque satis habebant veteres utrumque poetam tollere laudibus, sed enixe quaerebant, uter maiorem meruisset laudem. Qua in re valde sane dissentiebant, id quod Horatius testatur ep. II 1,55 sq.:

'Ambigitur quoties uter utro sit prior, aufert.

Pacuvius docti famam senis, Accius alti.'

Quibus versibus non tam suum ipsius, quam aequalium nobis tradidit iudicium. Cicero autem, qui l. l. unicuique parem paene laudem tribui in dissimili scribendi genere docet, alio loco de opt. gen. dic. I 2. Pacuvio palmam tribuit hisce verbis:

'Itaque licet dicere et Ennium summum epicum poetam, si cui ita videtur, et Pacuvium tragicum et Caecilium fortasse comicum.' Quibus in verbis neglegendum non est solum Pacuvium sine ulla dubitatione collaudari principem. Aliter sane Velleium iudicare video, qui l. c. summum poetam celebrat Accium, qui etiam usque in Graecorum comparationem evectum eum putat. Cuius auctoritate seductus Ladewigius Vitruvii et Columellae profusis laudibus nimium tribuit, cum contenderet tragicos Latinos et imprimis Accium fabulas scripsisse, quae vel inventorum laudibus apte cum Graecis fabulis conferri possent.

Accio deinde videtur potissimum favisse Ovidius, qui eximos diiudicans poetas Amor. l 15 ita dicit:

'Ennius arte carens animosique Accius oris.

Casurum nullo tempore nomen habent.'

Sed quoniam tot tantasque laudes attulimus, sane iustum et aequum videtur non omittere, in quas Accius et Pacuvius vituperationes incurserint.

Iam a Lucilio, satirarum scriptore, cui artificiosi prologi videntur displicuisse, Pacuvium mordaci carmine perstrictum esse tradidit Gellius 17, 21. Quo spectare videtur Lucilii ipsius versus ex satirarum reliquiis XXIV 63:

'Utrum contorto aliquo ex Pacuviano exordio' sq.

Neque vero ignoramus Pacuvium ob male dicendi genus Ciceronis (Brut. 74) reprehensionem non effugisse, quam Teuffelius et Ribbeckius ad linguam parum urbanam referendam esse recte censuerunt, quamquam politiorem elocutionem Quintilianus omnibus et tragicis et comicis illius aetatis defuisse auctor est.

Iam cum aetate, quae aurea vocatur, limatior fieret et eruditior poetarum oratio,

Romani in duas discedentes partes partim poetis antiquis, partim recentibus favebant, prout argumenta tragicorum et sententiarum gravitatem potius amplectebantur aut elegantiorem magisque excultam formam praeferebant. Neque igitur mirum, quod nonnulli illius aetatis Romani, quibus vetustiora iam non placebant, acerbius interdum in poetas antiquos, quippe quibus plerique etiam tum delectarentur, inventi sunt. Qui quidem eo facilius ira efferebantur, quod vulgus eaquo quodam omnium, quae vetusta et impolita erant, amore obstinatum recentiora quaeque et elegantiora contemnebat atque repudiabat. Hor. ep. II 1,54. 64 :

Neque aliud quidquam Horatii, auctoris rei poeticae sane peritissimi, graves sibi volunt vituperationes, quibus epist. II 1, 64-66; II 3, 29 sq. veteres poetas perstringit, quod 'quaedam nimis antique, pleraque dure, multa ignave dixerint'. Sed enim artem tragicam, qua veteres florebant, summumque eorum ingenium laudare haud dubitat ep. II 1, 164; 3,85-90.

Neque serviliter interpretandas esse puto facetias Martialis aceras epigr. XI 90:
'Attonitusque legis terrai frugiferae.'

Accius et quidquid Pacuviusque vomunt; et Persii 1 77:

'Sunt, quos Pacuviusque et verrucosa moretur
Antiopa, aerumnis cor luctificabile fulta.'

Restat, ut iam Taciti afferam sententiam, accerrimi sane poesis antiquae iudicis.
Est autem haec dial. de or. 20:

'Exigitur ab oratore etiam poeticus decor non Accii aut Pacuvii vetero inquisitus, sed ex Horatii . . . sacrario prolatus.'

Quamvis igitur veteranum de his poetis iudicia inter se discordent et singula singuli vitia vituperent, virtutem et ingenium utriusque tamen ita videntur collaudare, ut Accio tribuant altitudinem, granditatem, vires in alternis sermonibus; gravitatem decentissimam, ubertatem, doctrinam Pacuvio.

De Accii autem altitudine et viribus, de doctrina et ubertate Pacuvii, quoniam infra accuratius disserendum erit, iam ad alteram huius commentationis partem transeamus atque possitne ex ipsis poetarum argumentis fabulisque cognosci quaeramus, quatenus et veteranum et recentiorum de illis iudicia comprobanda videantur. Neque enim dubitari potest, quin poetae ingenium atque indolem non solum ex ingeniose tractando, sed etiam ex elegendo arguento tragico bene perspicere possimus. Itaque primum mili videtur demonstrandum esse, quo ex fonte sua uterque poeta argumenta hauserit, deinde, qua in tractandis fabulis ratione usus sit.

Atque omnia fere fabularum argumenta, quae Accius et Pacuvius tractaverint, Graeca: fuisse originis, non solum fragmentis, quae supersunt, probatur, verum etiam Cicero I. 1. commemorat, cum Graecorum tragediae principes: Aeschylum, Sophoclem, Euripidem poetas Latinos imitatos esse dicat. 'Quidquid igitur admirationis habent heroicæ illæ virtutes in rebus Argonauticis, Thebanis, Troianis conspicuae, quidquid horroris et calamitatis grassatum est per Labdacidarum gentes, Romana quoque scaena rettulit! Neque vero ignoramus poetas Romanorum tragicos a multis graviter reprehensos esse, quod non sui ipsorum populi heroas in scaenam produxissent atque celebrassent, sed Graecorum potius fabulas vertere et imitari maluissent. Qua in re non

magis falluntur ii, qui poetas illos propter id ipsum vituperandos esse iudicant, quam ii qui aut fuisse argumenta domestica, aut ea tractari licuisse negant. Nam propter inimicitias, quae patricis intercedebant cum plebeis, fieri non potuisse, ut ullae res Romanae a poetis tractatae in scaenam producerentur, nemo credet; neque Romani ipsiea opinione tenebantur, ut quaecunque res ad rem publicam pertinerent a scaena excludendas esse arbitrarentur. Immo populum Romanum saepissime poetarum sententias universe dictas ad praesens tempus rettulisse Cicero docet pro Sestio 55. Verum enimvero omnes fere illae causae nimis saepe subtiliter excogitatae eo refutantur, quod impune atque magno cum plausu poetas nonnullas fabulas praetextas composuisse scimus. Sane quidem rarius poetae ex domesticis historiis argumenta repetierunt, primum fortasse, quod magni illi viri, qui de patria praeclare meruerant, populo Romano tantae admirationi erant, ut eos in scaena laborantes et luctantes spectare nollet; deinde autem pauca in his historiis erant argumenta, quae omni ex parte ad tot tantasque tragoeedias scribendas sufficerent; denique heroes Romani parum personas vere tragicas praebebant, cum quo omnes fere amore patriae, qua virtute, quo consilio excellebant, moribus essent inter se minus distinctis, quam ut proprium quidquam haberent et ad artis scaenicae usum satis essent idonei. Qua de causa poetis Romanis minime vituperationi duci potest, quod pulcherrimas Graecorum de rebus Argonauticis, Thebanis, Troianis etc. historias fabulares, quae ad gravitatem tragicam et ad affectus ciendos aptissimae essent, tractandas sibi sumpserunt. Quod egregie intellexisse videtur Welkerus, qui¹ de hac re disputat ita:

„Das Element der alten Tragödie ist so verschieden vom gewöhnlichen Leben, daß die idealisierten Helden eines fremden Volkes nicht in dem Maße, wie dessen wirkliche Geschichte, als fremd wirken könnten, und die wohl sagenhafte Vorzeit eines jeden gebildeten Volkes steht ihm selbst eigentlich mehr fern, als ein idealischer poetischer Kreis von Personen und Verhängnissen unter fremden Namen und Sitten, die aller Menschen Teilnahme zu erwecken fähig sind.“

Accedit quod, ut Langius² aliique viri docti bene demonstrarunt, Romani Accii et Pacuvii temporibus iam pridem Graecorum ritus fabulasque religiosas et per Etruscos, id quod nummi et artificiosa opera locupletissime testantur, et ab ipsis Graecis receperant receptasque cum suis religionibus artissime contexuerant.

Sed non solum argumenta, verum etiam formam et structuram universam fabularum Graecarum imitati sunt poetae Romanorum tragicci, id quod et fragmentis eorum cum Graecorum fabulis comparatis et multis veterum testimoniis plane comprobari videmus. Graeci enim cothurni principes imitandos sibi proposuisse poetas Romanos Cicero aliisque scriptores expresse affirmarunt; sed nihilo secius, cum perraro veterum testimoniis significetur, ex quibus fabulis Graecis singulae Latinae conversae sint, valde difficile est dictu, quousque poetae Romani imitando processerint. Namque ex horum fragmentis, quippe quae tristi modo disiecta et depravata sint, vix certi quidquam illa de re colligere possis.

Sed tamen Accium et Pacuvium in fabulis componendis totos ex Graecorum poetis pependisse atque in imitandis exemplaribus eorum vestigia anxie pressisse, id quod

¹⁾ Griedl. Tragödie p. 1348 sq.

²⁾ Vindic. trag. Rom. p. 12.

multi confidenter affirmaverunt, multis de causis prorsus videtur negandum esse. Namque Romani, qua erant natura, oculorum potissimum oblectamentis et splendidis spectaculis delectabantur (Cic. ad fam. VII 1. Hor. ep. II 1, 187), Graecorum vero tragoeiarum eximiam simplicitatem atque elegantiam morumque accuratam explicationem, quippe quae animo percipere eo tempore nondum possent, repudiabant. Huiusce rei ratione bene habita poetae 'ingeniosi atque prudentes' fabulas Graecorum, ut ad Romanorum sensum atque naturam adaptarent, modo resecabant, modo amplificabant atque de suo ingenio vel addendo vel mutando in formam Romanis bene placitam redigebant. Eadem libertate in rerum quoque structura et ordine atque in personis distribuendis usos esse Accium et Pacuvium cum facile est conjectura augurari, tum Diomedem grammaticum p. 491, 2 k. video testari, qui eos complures personas in fabulas introduxisse ait, 'ut speciosiores frequentia facerent.' Neque vero intellego, cur Wulffius¹⁾ hisce Diomedis verbis solos comicos poetas significari putet, cum fragmentis bene inspectis dubitandum non sit, quin eadem illa in tragicos poetas valeant, qui eadem contaminandi causa commovebantur. Atque in 'Antigona' cantum choricum in actus transtulisse totamque argumenti rationem commutasse Accium, Pacuvium in 'Teucro' partes mutavisse suo iure Ladewigius aliique suspicantur. Maxime vero sententiam nostram iuvare videtur Ribbeckius, qui ita disputat²⁾:

"Pacuvius hat dem römischen Geschmacke entsprechend das Personal im Verhältnis zu der Beschränkung der klassischen Zeit bedeutend vermehrt," id quod de aliis quoque tragediis, de 'Antigona' atque de 'Myrmidonibus' colligi posse puto.

Minime igitur ad verbum fabulas Graecas Accium et Pacuvium vertisse, sed suo ingenio innixos satis libere tractasse vel imitatos esse vel inde intellegi potest, quod non solum cantica chorica, quippe quae Romanorum tragediis parum convenient, commutaverunt ipsique fabulae immiscuerunt, sed etiam contaminandi rationem non repudiassent. Satis enim constat et in fabula, quae 'Armorum iudicium' inscribitur, neutrum poetam a confusione abstinuisse et Pacuvium alia atque Accium contaminandi ratione usum esse.³⁾ Atque Accium quidem Philoctetam ex tribus Aeschyli, Sophoclis, Euripidis fabulis composuisse Ribbeckius⁴⁾ accurate demonstravit, itemque probabile esse mihi videatur Aeschyli *Nηρείδας* et 'Επιοργος Λιτρα Accium Iliade adhibita in unam fabulam contraxisse, quae Epinausimache inscribitur. Neque prorsus intellegi potest, qua de causa poetis tragicis modica quidem fabularum confusio non licuerit aut placuerit, cum eodem tempore comicos contaminandi rationem saepius esse amplexos inter omnes constet. Itaque temerariam et plane refutandam esse puto Leonis sententiam 'contaminare omnino alienum esse a tragicis'.⁵⁾ Sane non dubium, quin multo artius quam comici Graecorum exempla secuti sint poetae tragicci, sed tamen non ubique 'Graecorum mores et affectus reddidisse' Accium et Pacuvium, ut Leo vult, eo est probabilius, quod saepius a veteribus scriptoribus collau-

¹⁾ De L. Accio poeta diss. p. 48.

²⁾ Röm. Tragöbie p. 247.

³⁾ Qua de re cf. Herm. Opusc. VII p. 362.

⁴⁾ Röm. Trag. p. 377 sq.

⁵⁾ De Senecae trag. observ. 1878.

dantur, quod quaedam Graecis melius instituerint. Cic. Tusc. disp. II 21,49; de nat. deor. II 36.

Sed quid plura! Haudquaquam anxie Graecorum vestigia pressisse poetas illos ipsorum veterum probatur iudiciis, quorum in omnibus hisce rebus quam maxime est ratio habenda, cum illi poetarum fabulas omnes fere spectaverint vel legerint, nobis ne una quidem sit integra servata. Atque de ratione, qua poetae Graecos sint imitati, singulare exstat Ciceronis iudicium Acad. Post. I 3,10:

'An quia delectat Ennius, Pacuvius, Accius, multi alii, qui non verba sed vim Graecorum expresserunt poetarum.' Quid clarius dici potuit? At huic loco forsitan repugnare videantur Ciceronis verba de fin. I 2,4, quibus graviter increpat eos, qui philosophiam Latine a se scriptam repudient, cum fabellas Latinas (sc. Pacuvii Antiopam) ad verbum de Graecis expressas non inviti legant.' Quo de loco multum video esse disputatum.

Ac Stiglitzius quidem¹⁾ tragoeiarum Latinarum duo genera distinguere videtur, cum Regelius²⁾, Wulffius, alii Plankio assentiantur, qui³⁾ contendit, voces „ad verbum“ pertinere ad generalem adornationem et elocutionem a Graecis depromptas. Sed quamquam Stieglitzio concedendum est, poetas Latinos modo liberius secutos esse Graecos, modo pressius, ut in Pacuvii Antiopa, tamen verba allata premenda et ad litteram intelligenda esse nego. Neque enim Cicero, quippe qui superiore loco non de una alterave fabula loquatur, sed in universum vim Graecorum expressisse Romanos dicat, hoc loco contrarium quidquam dicere aut voluit aut potuit. Sed suos de philosophia libros cum fabulis tragicorum Romanorum comparans, quamquam utriusque, et ipse scilicet et illi e fontibus Graecis hausissent, se tamen prorsus alia ratione multoque maiore ingenio, libertate, elegantia in tractandis Graecorum exemplaribus versatum esse sentit. Quod cum aequales quosdam parum intellegere atque opinione sua agnoscere vidisset, hos tamquam inconcinne iudicantes irato quodam animo reprehendit atque, sua scripta tragicorum fabellis postponi aegre ferens, vehementius, ut usu venit, de tragicis facit iudicium. Qua in re non dubium, quin non ea verba, quibus simul de semetipso loquitur scriptor, sed illa superiore loco citata sinceram eiusdem de tragicis reddant sententiam, ideoque haec sola in diiudicanda quaestione, quatenus poetae Graecos secuti sint, spectanda esse videantur.⁴⁾ Accedit quod saepissime in eruendis Accii et Pacuvii fabulis vix cognosci potest, quem illi Graecorum secuti sint, cum multi loci et Sophocleum spirent ingenium et Euripideum, quod Accius et Pacuvius non solum multas fabulas iam ab Ennio vel Andronico scaenae compositas iterum retractandas sibi sumpserunt, sed etiam nonnullas fabulas praetextas Graecorum vestigiis plane desertis suo omnino ingenio suaque arte innixi non sine successu in scaenam produxerunt, quod et ex Horatii laudibus possis concludere de art. p. v. 286 sq

'Nec minimum meruere decus vestigia Graeca

Ausi deserere et celebrare domestica facta.'

Sed iam fusius exposuisse mihi videor Accium et Pacuvium fabulas Graecas ita

¹⁾ De Pacuvii Dolor. p. 14. Lips. 1826.

²⁾ De re trag. R. p. 42.

³⁾ Prolog. p. 48.

⁴⁾ Cf. L. Muelleri de Pac. fab. p. 14. Berol. 1889.

vertisse vel imitatos esse, ut alia, quae Romanorum ingenio atque indoli minus responderent, praetermitterent vel immutarent, nova alia ex suo ingenio adderent, quae spectantium studiis et moribus melius convenient, denique varietatis studio ducti totam etiam tragoediarum oeconomiam non nunquam immutando proprio modo instituerent atque neutiquam repudiarent contaminandi rationem. Uter autem poeta ea in re audacior fuerit, uter tali componendi licentia alterum superaverit, difficile est dictu, quamquam equidem cum Bernhardio palmam Pacuvio tribuere ausim, qui¹⁾ ita disserit:

„Der intrigierte Plan in Iliona und Medus verrät viele Selbständigkeit in der Dramaturgie, noch mehr führen aber darauf die streitenden Parteien über Dulorestes, den man auf seine Weise mit Euripides auszugleichen vermag“, quod de Duloreste O. Jahnii²⁾ et Ribbeckii³⁾ eximiis studiis egregie comprobatum est. Neque vero omittam, quae disseruit idem⁴⁾ haec:

„Aber auch ihnen (den Stoffen seiner Vorgänger) hat er eine eigenümliche Wendung gegeben: dem tragischen Geschick des Ajax durch die Verbindung mit dem Waffengerichte, der Heimkehr des Teucer durch Veränderung der Hauptrolle, der Rache für Agamemnon durch eine ganz abweichende Intrigue Den Originalen gegenüber gab der Dichter seine Selbständigkeit nicht auf, besonders wo römisches Denk- und Empfindungsweise von der griechischen abwich, wie am Schluß der Niptra. Auch italische Localmythen mag er hier und etwa im Chryses verwertet haben.“

Atque haec de fabularum forma atque structura; iam illud ostendere studeamus, quemnam uterque poeta imprimis imitandum sibi proposuerit, quae quidem quaestio longe difficillima esse videtur.

Atque universe Accium et Pacuvium cothurni Graeci poetas secutos esse et Cicero de or. III 7, acad. quaest. I. 3,10 atque Horatius ep. II 1,161 nos docent et tragoediarum fragmenta ac tituli aperte demonstrant. Sed temere videntur ei facere, qui omnes Accii et Pacuvii fabulas ad tragoedias aut Euripidis aut Sophoclis aut Aeschylus revocandas esse contendunt. Immo vero, quid impedivit poetas Latinos, quominus minores quoque tragicos Graecos imitarentur, quippe qui saepius Athenis in certamine summos illos poetas tragicos devicissent. Iure igitur Ribbeckius, alii tragoedias Latinas, si argumentum simile vel nomen in indicibus fabularum Graecarum trium illorum non exhiberetur, ex aliis fontibus haustas esse existimaverunt. Quod quam verum sit, ex Horatii apparel versibus, qui inveniuntur ep. II 1,163:

‘Quid Sophocles et Thespis et Aeschylus utile ferrent.

Temptavit quoque rem, si digne vertere posset.’

Quo loco Thespidem pro ceteris poetis tragicis positum esse puto. Quod vero Ennium iam Achillis fabulam ab Aristarcho repetuisse constat atque Accii fabularum tituli Io et Hellenes nusquam nisi apud Apollodorum et Chraemonem inveniuntur, multi alii, qui sunt Agamemnonidae, Stasiastae, Thebais, Melanippus, Deiphobus, Nyctegresia, Diomedes Accii, Pacuvii Dulorestes, Iliona, Periboea, Atalanta, Medus frustra in indicibus

¹⁾ Röm. Lit. p. 428.

²⁾ Jahn, Herm. 2, 229.

³⁾ L. c. p. 239 sq.

⁴⁾ L. c. p. 334 sq.

fabularum quaeruntur: nonne eo efficitur alia quoque vestigia eos esse secutos quam illorum principum? Singulae vero fabulae ex quibus Graecis conversae sint, cum veteres per raro nos docuerint, viri docti aut ex fragmentis eruere studuerunt aut ex nominibus, quae poetae Latini fabulis indiderunt. Quibus igitur hae quaestiones tenebris obvolutae sint, neminem fugiet. Nam licet fragmenta Latina cum versibus Graecis saepe conspirare videantur, tamen certi quidquam inde colligi nequit eo minus, quod poeta sententias ex fabula prorsus aliena in suam recipere poterat neque verbum verbo reddere curabat. Neque mirum quod viri docti in hisce quaestionibus magnopere inter se dissentunt.

Atque Hartungius¹⁾ quidem Euripidis imitatem Accium ratus XXII fabulas vult ab Euripide repetitas esse, cum Bergkii contendat, Accium pro animo suo generoso atque magnifico saepissime Aeschyleae musae vestigia pressisse, Pacuvium, qui ingenio leniore fuerit severitatemque apte temperaverit, Sophocleam venustatem imitatum eiusdem fabulas vertisse. Ab hac de Accio sententia nihil dissentire videntur Hermannus²⁾ atque Regelius³⁾, contra Ladewigius in analect. scaen. p. 2. nullam omnino Aeschyleam fabulam ab Accio expressam esse efficere studet. Omitto Schoellum,⁴⁾ qui Accium potissimum Euripidem imitatum esse censem, sed Welckeri liceat afferre verba, qui⁵⁾ ita disputat:

„Im allgemeinen geht die Tragödie von Euripides aus und schreitet zu Sophokles und Äschylus vor, sowie auch die 3 Dichter Ennius, Pacuvius, Accius dem Euripides, Sophokles, Äschylus in mancher Hinsicht eher, als in umgekehrter Folge sich vergleichen lassen.“ Teuffelius autem⁶⁾ ita disserit: „Es fällt in die Augen, daß Pacuvius sich mehr als ein anderer römischer Tragiker an Sophokles angelehnt hat, auf welchen sich fast die Hälfte (?) seiner Tragödien zurückführen läßt.“ atque p. 29: „Unter den drei größeren griechischen Tragikern läßt sich eine Bevorzugung des einen oder andern durch Accius nach dem Stande der überlieferten Thatsachen nicht nachweisen.“

Denique Ribbeckius, qui iure ac merito hisce in rebus summa fruitur auctoritate, audiatur, qui de Accio⁷⁾ dicit: „Ein gewisses Übergewicht hat Sophokles“ atque XI fabulas Accii ad Sophoclem referre studet, VI ad Euripidem; Pacuvii contra IV fabulas a Sophocle, III ab Euripide de promptas esse contendit; nam cum Protesilai fabulam Pacuvium composuisse neque certo testimonio neque ullo fragmanto comprobetur, quis eum Euripidem secutum esse putare conetur? Itaque Ribbeckius Teuffelii de Pacuvio sententiam comprobare videtur; sed quod prorsus idem de Accio statuit, conjectura magis quam argumentis inniti mihi videtur. Nam Accium in Deiphobo Sophoclem secutum esse ipsi viro doctissimo nulla re nisi simili quodam ‘Sinonis’ fabulae argumento probabile videtur, atque de Atreo cum dicat p. 456, „das Original des Stückes auch nur in bescheidener Vermutung zu bezeichnen, möchte ich nicht wagen,“ miror quod p. 601. ad Sophoclem fabu-

¹⁾ In Bergkii et Caes. Ephem. 1842 p. 830.

²⁾ Opusc. V. p. 136 sq.

³⁾ G. Regel, De re trag. Rom. 1834 p. 50.

⁴⁾ Beiträge p. 318.

⁵⁾ L. l. p. 1842.

⁶⁾ Tübing. Progr. 1858, p. 10.

⁷⁾ L. c. p. 601.

lam revocari posse adnotat, cuius tragœdiae duo omnino versus supersunt. Immo vero fragmentis multo probabilius esse videtur poetam Euripidis 'Thyestem' secutum esse. Atque rectius mihi videtur contendisse L. Muellerus¹⁾ VII fabulas Sophoclis, XII fabulas Euripidis Accio exemplo fuisse probabile esse.

Quod si sententias virorum doctorum perpendamus tantopere inter se repugnantes, id constare videtur, nil certi in hisce rebus constitui posse, nisi quod veterum testimoniis vel fabularum fragmentis dilucide indicetur. Atque euidem Teuffelii sententiam comprobaverim, Pacuvium Sophoclis potissimum vestigia pressisse, Accium aut Euripidem, aut, quod verius videtur, certum quendam poetam Graecum prae ceteris imitatum non esse.

Iam quod ad singulas utriusque poetae fabulas attinet, Pacuvii Niptra a Sophocle, Antiopam ab Euripide repetita esse veteres tradunt; itemque indiciis satis certis Teucer, Hermione, Chryses ad Sophoclem revocantur, ad Euripidem Periboea, ad Sophoclem et Aeschylum Armorum iudicium. Accii fabularum ex Euripideo fonte veterum testimoniis certisve indiciis derivanda sunt haece: Bacchae, Phoenissae, Meleager, Heracidae et fortasse Atreus, Alcestes, Minotaurus. Cum Sophoclis autem fabulis conspirant Antigona et Epigoni; ad eundem poetam nescio an revocandae sint fabulae, quae inscribuntur Tereus, Medea, Eurysaces et, si quidem Ribbeckius recte auguratur, Antenoridae et Oenomaus. Armorum iudicium poeta a Sophocle et Aeschylo, Philoctetam a tribus Graecorum poetis summis depropnsit.

Ex fonte Aeschyleo hausta videtur Promethei fabula et fortasse partim Telephus, Myrmidores, Epinausimache, Astyanax (?). Nieberdingius²⁾ sane Accium Aeschyli imitatione spreta sex fabulas ex ipsa Homeri Iliade mutuatum esse opinatur, neque vero in eo acquiescens poetae Latino in animo fuisse contendit 'carmen Iliacum in actus diducere'. Sed quamvis multi Accianarum fabularum versus cum Homeri carminibus congruant, licet poeta Romanus iterum ac saepius ea adierit tragicī ingenii exercendi causa, vix credibile est eum, cum in aliis argumentis alios tragicos Graecorum imitaretur, unius Aeschyli artem adeo fastidivisse, ut huius ex Iliade haustas fabulas ne partim quidem imitari vellet. Adde quod e fragmentis Accianis satis apparet, poetam argumentum Homerici carminis nonnunquam vel mutasse vel auxisse, ipsaque plena sunt altioris spiritus et granditatis Aeschyloque dignissima.

Reliquarum autem Accii fabularum nomina aut apud minores qui vocantur Graecorum poetas aut in fabularum indicibus omnino non inveniuntur. Neque tamen quisquam ea de causa pro certo habeat, novas fabulas de suo ingenio Accium composuisse, id quod Ladewigius³⁾ contendit.

Sed satis de hac re verba fecisse mihi videor; quare iam id videndum est, quod et quale argumentum pro suo uterque ingenio potissimum sibi elegerit electumque tractaverit. Qua in re veterum testimoniis atque indiciis satis nobis affertur lucis, qui Accium Brysaeum' (Pers. I, 79) et 'altum' praedicant atque 'venosi et atrocis animi' eum fuisse tra-

¹⁾ De Acci fabulis. Berol. 1890.

²⁾ De Iliade a L. Accio in dramata conversa. Conitz. 1838. p. 2 sqq.

³⁾ L. I. p. 8.

dunt, cum Pacuvius ingenii lenioris atque mitis fuerit. Pro tali igitur natura atque in-dole, pro suis uterque viribus argumenta sibi tractanda elegit. Atque Accius quidem materiam mere tragicam et grandem et altam in scaenam producere malebat atque eius-modi fabulas de Graecis exprimere, quae scelerum magnitudine vel rerum gestarum splendore insignes essent. Eiusdem fabulae omnes fere in Graecorum mythis versantur. Primum autem locum XII tragoediae obtinent, quae ad Troiae excidium devictorumque sortes pertinent: Achilles, Antenoridae, Armorum iudicium, Astyanax, Deiphobos, Epinausimache, Eurysaces, Hecuba, Hellenes, Neoptolemus, Nyctegresia, Philocteta; sequuntur fabulae VII, in quibus Pelopidarum casus produncuntur: Agamemnonidae, Aegisthus, Atreus, Chrysippus, Clutemestra, Oenomaus, Pelopidae, quibus addi possunt, quae in Thebanorum domus regiae rebus versantur: Antigona, Epigoni, Phoenissae, qui-buscum fabulis quodammodo cohaerere videntur Alcimeo et Alphesiboea. Ad Aetolos deinde spectant Diomedes, Meleager, Melanippus; ad Argonautarum casus Athamas, Medea, Phinidae, ad varios denique mythos: Amphitruo, Andromeda, Alcestis, Io, Hera-clidae, Prometheus, Tereus, Minos, Bacchae. Praetextas composuit Accius fabulas duas, Decium vel Aeneadas et Brutum, quarum altera P. Decii filii devotionem, altera regum exactionem consulatumque institutum illustrat.

Iam harum, quas citavi, fabularum complures dupli nomine inscriptae sunt, ut Ribbeckius statuit: Stasiastae vel Tropaeum liberi, Achilles seu Myrmidones, Astyanax sive Troades, aliae, quae quidem altera illa nomina utrum fabulis a poeta retractatis more veterum indita sint an iterum in scaenam productis, in medio relinquendum est.

Non tot fabulas Pacuvius composuit, qui aetate proiecta et multo maiore cura poe-ticen attigisse videtur. Ex parva Iliade repetitae sunt: Armorum iudicium et Iliona, qui-buscum cohaerent Teucer et Niptra, Medus ad Argonautas, ad Pelopidas Chryses, Dulorestes, Hermione spectant; diversum omnino habent argumentum: Antiopa, Atalanta, Periboea, Pentheus, Protesilaus (?). Praetextam scripsit Paulum, qua L. Aemilium Paulum, qui ad Pydnam Perseum regem devicerat, poeta celebravit, ut O. Jahnius¹⁾ atque Ribbeckius li-quido demonstraverunt.

Quodsi numerum species fabularum, Accius longe superavit Pacuvium, neque iniuria Velleius 'in Accio circae eum tragoediam Romanam esse' dicit. Iam ex fabulis allatis satis appareat, in eligendo argumento utrumque poetam tragici commovendi affectus ubi-que rationem habuisse. Accius autem ea potissimum argumenta amabat, quae gravitate et atrocitate spectantium animos caperent. Ita matricidium, liberorum caedes, insidiae, seditiones, bella, proelia imprimis in scaena agebantur, regum et tyrannorum expulsiones ac caedes, quae quidem quo atrociora erant, eo magis spectatores delectabant. Atque Accii fabularum ut argumenta pleraque dira sunt, ita heroes atroces, protertos, servidos ani-mos ostendunt, ut Atreus, Thyestes, Tereus, Minos, alii, ac saepius ii qui primas agunt personas officiis implicantur, quae secum repugnant. Matronis autem multo pauciores partes impertit quam Pacuvius. Sed magnam sane admirationem movent generosissima Alphesiboea, Andromeda et Atalanta fortitudine paeclarae; neque omitto Prochen luctu-

¹⁾ Sächs. Ges. der Wissenschaft 1856 p. 301.

ac maerore afflictam, Medeam ferocitatis plenam, Astydameiam, quae libidine et atrocitate erat inflammata, et quae clandestina struebat consilia Hippodameiam.

Sed ad Pacuvium redeamus, qui ut erat animo multo leniore, argumenta tratabat non tam atrocia, quam venusta et magnifica. Itaque imprimis fabulis actuosis operam navavit atque materiam tragoeiae ad affectus excitandos satis aptam elegit atque ita conformavit et ornavit, ut rebus artificiose implicitis feliciterque solutis animi spectantium valde delectarentur, ita ut 'stantes plauderent in re facta': Cic. de amic. 7,24. Qua in re Accium, qui ingentem praecipue effectum spectabat, multo superavit. neque minus in moribus accurate describindis felicius Pacuvium putaverim versatum esse. Porro personas, uti supra dixi, pro Romanorum indole saepius complures introduxit atque *ἀναγνωρισούσ* qui vocatur valde amabat; est autem in fabulis hisce: Niptra, Antiopa, Atalanta, Medus, Chryses. Personae autem ipsae, quas producit, quamquam aliquanto lenioribus fuisse moribus minusque feroecs, quam apud Accium videntur, tamen vi, acrimonia, gravitate minime carent, id quod non solum Cic. de or. IV 46, 193 testatur, verum etiam ex altercatione illa eximia inter Telamonem et Teucrum V. 325 sqq. satis eluet. Neque fieri poterat, quin admirationem moveret Iliona, quae ut fratrem parentibus suis conservaret, ipsius filium marito trucidandum tradidit, quin terrorem incuteret Diphilus, qui sorore cognita nefarium patrem iusta poena afficere non dubitat; nec minus profecto commovebantur spectantium animi in egregiis illis fabulis, quae Dulorestes et Chryses inscribuntur, in quibus Orestes Iphigeniam sororem et Hermioneam sponsam diu desideratam tandem reperit et recognoscit. In universum autem musam Pacuvii generositatem, honestatem, aequitatem quandam spirasse iam nunc (fortasse) ex reliquiis fabularum eius colligere licet. — Restat ut commemorem quinque fabulas a matronarum partibus, quibus ille potissimum delectatus esse videtur, nomen accepisse, eas quae inscribuntur Antiopa, Atalanta, Iliona, Hermione, Periboea. Insigni quadam arte atque cura Hermioneae mores vere femineos descriptsse poeta videtur; quatenus autem poeta, qui tam leni erat natura, Medeae furibundae mores atque facinora bene expresserit, frustra comperire studeas, cum ex fragmentis hac de re nil certi eruere possis. Orestis quidem partes humiles atque tristes misericordiam potius quam admirationem aut tragicum affectum movisse negari nequit.

Haec de argumentis atque personis dixi, sequitur ut de re metrica utriusque poetae, quantum perspicua, pauca addamus.

Atque iam Ennius quidem optime de arte metrica meritus erat, cum duro versu Saturnio plane neglecto primus linguam Romanam ad Graecorum numeros adaptasset. Quem qui secuti sunt Accius et Pacuvius felicius in imitandis Graecorum numeris versati artem metricam magis magisque excolebant. Magnam tamen iniuriam hisce poetis faciunt ii, qui artis eorum metricae laudem Senecae versibus metiuntur. Etenim non artis ignorantia peccaverunt Accius et Pacuvius, sed nimis saepe linguae difficultatibus impediti non nunquam parum profecerunt, quae tam ex rei novitate oriebantur, quam ex linguae ipsius duritia et gravitate. Quid igitur mirum, quod aurea quae vocatur aetate versus eorum minus elegantes, sed 'scabri' videbantur. Hoc enim Macrobius testatur sat. VI 3, qui diu laborasse ait aetatem Ennium secutam, ut molliori filo acquiesceret. Atque in universum metra Plautina apud Accium quoque et Pacuvium inveniuntur, qui easdem

fere leges secuti non solum iambicis senariis et octonariis et septenariis et octonariis trochaicis usi sunt, verum etiam dactylicos, anapaesticos, creticos versus composuerunt. Iam etsi non facile videtur certi quidquam eruere in tanta scripturae corruptione, multo tamen maiorem quam Accium curam atque diligentiam in rem metricam Pacuvium impendisse constat, cuius versus apud Ciceronem or. II. 36 nimia sane laude 'omnes ornati elaboratique' praedicantur. Itaque Ribbeckio adstipulandum est, qui¹⁾ Pacuvii numeros concitatores et ad varios affectus depingendos accommodatores esse contendit. Atque senarii quidem Pacuvii, quantum attinet ad iambum illum purum, magis quam ceterorum illius aetatis Graecorum trimetros aequare videntur. Cf. v. 4. 10. 20. 101. 106. 158. 174. 194. 238. 251. 283. 292. 317. 320. 326. 346. 349. 362. 364;²⁾ anapaesti autem eiusdem poetae iure faciles atque sonori appellari possunt. — Contra Accius nimia sane audacia saepissime in secundo et quarto pede spondeum pro iambo admisit; cf. v. 6. 66. 70. 98. 209. 218. 309. 310. 374. 441. 493. 510 ect, cum Pacuvius dimidio prope minus frequenter his ipsis locis spondeum posuerit. Quod num ab Accio minus neglegentia quam altitudinis gratia iustitatum sit, ut Ribbeckius vult, eo magis mihi dubium esse videtur, quod Horatius ep. II. 3. 258. poetam hisce versibus illudit:

„Hic et in Acci

Nobilibus trimetris appetat rarus.“

cum illa vox 'nobiles' sine dubio ironice sit intellegenda, et Pseudo-Acro Accium et Ennium legem metri minime servasse adnotet. At in seniorum quinta et septeniorum sexta sede pro Romanorum consuetudine (cf. Diomed. p. 507.) iambum vel trochaeum nisi necessitate quadam coactos Accium et Pacuvium non admisisse Langius docuit.³⁾ Quo in libro egregio ille Ribbeckii sententiam, iambum purum vel trochaeum tantummodo in voce minimum quattuor syllabarum et vel sic perraro ab Accio, multo saepius a Pacuvio positum esse, postquam refutavit remque accuratius examinavit, alias praeterea admittendi iambi vel trochaei puri statuit causas. Atque primum in voce minimum quattuor syllabarum iambum purum Accium multoque saepius Pacuvium posuisse hisce comprobatur exemplis: Pac. v. 69. 131. 164. 313. 314. 346; Acc. 61. 69. 94. 259. 340. 374. 466. 585. 593. praet. 20. Ab hac causa parum discrepare videtur illa a Langio⁴⁾ prolata, positum esse iambum, si duae voces ita inter se grammaticae coniunctae essent, ut pro una voce accipi possent, sed quod Langius p. 10. contendit, asyndeton quod vocatur iambi in quinta sede admittendi 'necessitatem imponere', neque vir doctus exemplis satis multis comprobavit et contrariis refutari posse puto ut Pacuvii v. 211. a. — Sed alia causa admittendi iambi haec esse videtur, si verbum paonem quartum efficiens verbo iambo excipiatur⁵⁾ cf. Pac. v. 172, aut si brevis illa thesis sit syllaba ultima vel paenultima vocis trium vel quattuor syllabarum: cf. Pac. v. 2, id quod de Phaedro quoque valere Langenus⁶⁾ docuit, quem easdem leges metricas servasse notum est.

¹⁾ In trag. Rom. poet. conjectanea Berol. 1848 p. 21.

²⁾ Ribb. R. T. p. 338.

³⁾ Quaest. metr. Bonn 1851 p. 2 sqq.

⁴⁾ L. c. p. 4.

⁵⁾ Christ, Metrif. p. 339.

⁶⁾ Rhein. Mus. XIII p. 205.

Itaque certis tantum rationibus supra allatis Pacuvium multoque rarius Accium iambum purum in quinto senarii pede admisisse videmus. Neque raro in utriusque poetae versibus hiatus invenitur: cf. Pac. 131. 172, Acc. 146. 476, et Accium saepissime Ennium secutum positionem in verbis in s exeuntibus neglexisse comprobatur v. 334. 523. 530. 534. 562.

Sed quaestionem video eo progressam, ut iam nonnulla de elocutione et dicendi genere poetarum disputanda sint. — Atque cum fabularum reliquiae tamquam nube quadam obvolutae adeoque dissipatae sint, ut vixdum lucis quidquam nobis afferant, iterum iterumque veterum iudicia ac testimonia adeunda sunt. Iam vero scriptores Romani haud parvum inter Accium et Pacuvium statuerunt discrimen, quippe qui Pacuvio ubertatem, elegantiam, doctrinam, mediocritatem attribuerint, Accio altitudinem et plus sanguinis atque virium, qui idem, ut supra dixi, Brisaeus appellatur et animosi oris fuisse fertur. Atque Pacuvius, cui quandam Atrei fabulam recitaverat Accius, grande et sonorum quidem illud carmen appellavit, sed tamen quae scripsisset paulo duriora et acerbiora sibi videri respondit. Altitudinem autem, granditatem duritiam Accii, quae non solum ad argumenta, sed etiam ad dicendi genus pertinent, ut in cumulatione et pondere verborum grandiumque syllabarum, ita in sententiarum gravitate quaerenda esse existimo. Pacuvii autem doctrinam, qua viguisse dicitur, cum neque veteres, qualis fuerit, tradiderint, neque e fabularum reliquiis certi quidquam de hac re erui possit, viri docti multum inter se dissentientes alii alio modo explicaverunt

Atque primum quidem neque iis assentiar, qui illam docti significationem solum ad philosophiae studium referre non dubitant, de quo Stieglitzius¹⁾ aliquie cogitarunt, cum ne Accium quidem philosophiae disciplinas omnino neglexisse versibus probetur 142. 169. 422; neque tamen cum Regelio aliisque contendere ausim, illud poetae Brindisini philosophandi studium in hac quaestione prorsus nullius esse momenti, cum in dimidio Accianis minore Pacuvianorum versuum, qui supersunt, numero ampliores et plures etiam inveniantur philosophicarum disputationum reliquia: Cf. V. 73. 86. 348. 366. sqq. Iam vero Regelius²⁾ Stieglitzio oblocutus illud docti cognomen ad dictionis et sententiarum altitudinem spectare censet atque eo quoque pertinere contendit audaces Pacuvii verborum compositiones et 'ornatos elaboratosque versus', propter quos a nonnullis summus iudicatus sit tragicus. Sed quomius hanc sententiam comprobare possim, obstare videatur, quod ipsas illas compositiones Lucilius in lib. V apud Nonium multique alii acriter vituperant. Ladewigius autem, qui multum in hac re versatus est, primam suam opinionem, qua Pacuvium proprio Marte atque ingenio argumenta a Graecis neglecta tractasse voluerat, postea³⁾ ita videtur mutasse, ut doctrinae laudem ad religiosam sensuum morumque Graecorum observationem pertinere statueret. Quam sententiam vellem exemplis quibusdam confirmasset. Namque quod ad illos Graecorum sensus attinet, Pacuvius prudenter poetae nomine a Cicerone Tusc. disp. II. 20, 49 collaudatur, quod Ulixem saucium,

¹⁾ L. l. p. 8. 62.

²⁾ L. c. p. 48.

³⁾ Analect scen. p. 10.

apud Euripidem flebiliter lamentantem, gravitatem fecisset spirantem Romanam. Minime vero Wennemeri sequar sententiam qui Ladewigio assensus¹⁾ poetam doctrinae laudem sibi comparasse contaminando frustra conicit. Neque enim pro explorato habemus Pacuvium saepius contaminasse, et Accium a tali fabularum confusione non abhoruisse, supra luculentus demonstratum est. Atque ipse quidem ille concedit, fuisse Romanos, qui ipsam contaminandi rationem aspernantes ea de causa Terentium reprehenderent. Itaque Welckeri sententia maxime mihi probabilis esse videtur²⁾, qui de mythologiae et litterarum doctrina cogitat atque de eruditione Pacuvii Graeca. Cui ut plane assentiar eo magis adducor, quod poeta pingendi artem magna laude iam exercuerat, priusquam quadraginta fere annos natus Romam veniret et fabulis docendis operam daret, nec non Romani iam inde ab Ennii aetate spectatores theatrorum philosophiae omnisque doctrinæ Graecorum cupidissimi erant. Tali igitur scientia atque eruditione imbutus summa cum cura et diligentia fabulas composuit, quae, ut Ribbeckius recte dicit, propter magnam elegantiam et prudentiam bene cultam maximopere laudabantur. Accedit, quod Propertius et Catullus propter mythologiae et litterarum Graecarum scientiam eodem docti nomine ab antiquis celebrati sunt. Ceterum doctrinae laus non tanti videtur momenti esse, cum Horatius et Quintilianus non suum, sed aequalium iudicium nobis tradant; immo vero ne ipsi quidem talem doctrinam statuere videntur, cum eos, qui docti esse affectent, Pacuvium videri doctorem velle, dicant. Sed haec hactenus.

Pacuvii ubertas autem, quae, ut Gellius testatur, dignitatem et amplitudinem continebat, atque eiusdem elegantissima gravitas cum in verbis gravissimis, in ampla descriptione orationeque plena ponenda videtur esse, tum in sententiarum vi et copia.. At mediocritas illa a Frontone Pacuvio attributa, modo de temperantia ac moderatione quadam, qua in fabulis componendis et in dicendi ratione usus sit, intellegatur, ubertati atque sagacitati eius contraria non est, quamquam Ribbeckii conjectura, qua apud Frontonem haec verba: 'Terentius, uber' excidisse putat, non nihil veri similitudinis habet. Propter limatus autem dicendi genus auct. ad. Herenn. IV, 4. 7 Pacuvium collaudat eiusque periodos arte compositas imitandas commendat; atque ipsius Sullae aetate multos eiusdem oratione esse delectatos constat. Sane quidem e fragmentis tam mutilatis tales eruere periodos difficillimum est. Quantum cognoscere nobis licet, inveniuntur eiusmodi enunciata in vers. 83. 244. 259. 327. 366. 381. 410. 412. Satis autem etiam nunc ex fragmentis colligitur, Pacuvium in fabulis eum secutum esse morem, ut nuntios longiore oratione res narrantes fingeret. Atque in tali narratione singula fusius solebat explicare, res longius repetitas interponere, pericula casusque miros describere, quo progressus rerum agendarum impediretur itaque spectantium animi magis tenerentur suspensi. Descriptionis uberioris exempla versus praebent 86. 331. 366. 412. Maris fluctus, tranquillitas, tempestates, nimis forsitan large atque cumulate depinguntur vers: 331. 410. Atque ut fabulis implicatis, perplexis aenigmatis, obscuris oraculis (v. 1. sq.) retardatur ipsius argumenti actio, ita de moribus quoque hominum philosophiaeque disciplinis fer-

¹⁾ J. Wennemer, de Pacuvio, Monast. 1853 p. 6.

²⁾ Welcker, Griech. Trag. III, p. 1397.

vido sermone disceptatur v. 86. 366. a. Virilis celebratur constantia et in periculis et in doloribus firma, amicitiae bene observatae atque familiaritates, amoris gaudia et tormenta itemque virtutis honestas, patriae amor summis efferuntur laudibus. Profecto, qui Pacuvii poesin recte perspicere velit, splendida illa Telamonis atque Teucri verba legat v. 327, sqq.

'Ségregare abs te aúsu's aut sine illo Salaminam ingredi,
Néque paternum aspéctum es ueritus, quom aéate exacta indigem,
Liberum lacerásti orbasti extinxti, neque fratrī necis,
Néque eius gnati páruī, qui tibi in tutelam est tráditus — ?'

et praeclarum Ulixis morientis canticum atque Aiacis voces illas et Polydori 'quae pressis et flebilibus modis, qui totis theatris maestitiam inferrent, concinebantur' v. 197:

'Matér, te apello, tú, quae curam sómmo suspensám leuas
Neque té mei miseret, súrge et sepeli nátum [tuum] prius quám ferae
Volucrésque . . .
Neu réliquias quaesó mias sireis, dénudatis óssibus
Per térram sanie délibutas foéde diuexárier', sqq.

Figuras autem elocutionis Pacuvianae atque ornamenta rhetorica, quae infra simul cum Accianis spectabimus, hoc loco praeterire liceat, atque ad Accium redeamus, quem praecipue alternis sermonibus admodum praevaluisse et fragmenta et veterum testimonia nos docent. (Quint, V. 13. 43.) Neque minus vivida descriptione eum enituisse constat; cf. v. 209. 520. Qua in re orationis altitudini atque elationi saepius indulgebat, ut verborum pompam et tumorem minime repudiaret, id quod magnis in Medea pastoris verbis, qui navem nondum viderat, bene illustratur. Cf. v. 391 sqq. Atque apte videtur musa Acciana significari praeclaro Ulixis canto in Philocteta, vers. 520 sqq., et egregiis verbis Progenes pallam conspicatae in Tereo, vers. 640 sqq.:

. . . o suavem linguae sonitum! o dulcitas
Conspirantum animae!

quae Welckerus bene cum Schilleri Melchthalis verbis comparavit: „O, eine edle Himmelsgabe ist das Licht des Auges!“ Addo ferocem non minus quam strictam vocem Atrei 'oderint dum metuant', quae illius personae moribus tam digna videbatur, ut audientium plausus excitaret. Cf. Cic. de or. III 58, qui hanc fabulam totam fere atrocem fuisse iracundiaeque plenam refert. Cf. v. 198 sqq.

'Iterum Thyestes Atreum adtractatum advenit,
Iterum iam adgreditur me et quietum exsuscitat:
Maior mihi moles, maius miscendumst malum,
Qui illius acerbum cor contundam et comprimam'. —

Iam transeamus ad varias et diversas dicendi figuras rhetoricas atque sententias, quibus orationem exornare uterque poeta studebat. Quod quidem utriusque studium quo melius perspici possit, figuras orationis componere atque comparare liceat. Quantopere autem Accius arte floruerit bene disserendi et vera falsaque subtiliter dignoscendi, dijudicandi, distinguendi etiam nunc ex fabularum reliquiis satis eluet. Atque verborum vim et notionem acriter secernens similia ita solet conferre, ut saepius paronomasia, quam vocant, existat, quod paucis probare liceat exemplis: Accii v. 4 pertinacia-pervicacia; 130

manibus-manicas; 156 par-dispar; 561 pari-dispari; 296 animus-anima; 308 animatus-armatus; 415 expes-expers; 461 frigit-fricantem; 692 nomen-numenque; 646 nomen et numen.

Neque magis Pacuvius videtur hanc figuram non sprevisse; cf. v. 221 ignoti-ignobilis; 246 minuam-manum; 275 maerore-aegrore; 276 cor-cura; 253 auram-auroram; a. Creberrime autem asyndeton apud utrumque poetam invenias; cf. Accii v. 111. 140. 219. 304. 349. 437. 444. 468. 550. 592. 595 alia; Pacuvii v. 2. 37. 53. 54. 90. 275. 294. 301. 329. 335. Iam permultae inveniuntur verborum, quae idem vel simile aliiquid significant, congeries copiose et ornate dicendi causa compositae in Acc. v. 15. 66. 105. 111. 140. 154. 241. 282. 304. 333. 340. 349. 364 sq. 415. 421. 437. 468. 471. 550. 592. 595. — Pac. v. 2. 20a. 37. 53. 77. 90. 147. 155. 175. 253. 263. 275. 301. 307. 313. 329. 335. 350. 382. Verba similia vel eadem in diversa tamen structura opposita iuxta posita, quo magis illucescant, haec sunt: Acc. v. 83 sanguine-sanguen; 109 mala-malis; 124 ope-opes; 132 hostis-hosti; amico-amicus; 147 mihi te-me tibi; 149 vincar-vinci; 174 saevum-saeviter; 296. 314. 319. 352, alia; — Pacuvii v. 131 amico-amiciter; 277 male-malum; aetas-aetatem; 297 egi-ago; 410 intuentur-tuendi, alia.

Aliae autem verborum vel sententiarum figurae hae sunt: Chiasmus in Acc. v. 15. 156. 130. 347. 430; Pac. v. 54. 77. 116. 144. 276. 235. 395. 412; parallelismus Acc. v. 41. 193. 219. 391. 468; Pac. v. 174. 247. 295. 399; polysyndeton Acc. 245. 663; Pac. v. 122. 307. 366; epiploce Acc. 365; dialysis 366; anaphora Acc. v. 198. 646; Pac. inc. inc. 96; personificatio Acc. caeca nox; 33 immisericordes fluctus; 189 infans facinus; 315 maestitia muta; 573 suavisona echo cachinat; Pac. 177 oratio regina; 223 colles resonantes bount; 304 aetas senet; 336 clamor tonitruum, alia. Adde huc, quod plena sunt fragmenta sententiarum gravissimarum, quae postea saepe a scriptoribus usurpata sunt et saepenumero in proverbiorum vim atque consuetudinem abierunt. Atque Accii multo plura quam Pacuvii esse haec exempla probant vers. Accii 159: 'virtuti sis par, dispar fortunis patris,' ex Sophoclis Aiace 'ὦ παῖ, γένοιο πατρὸς εἰτυχέστερος, Ταὶ δὲ λίγοιος; καὶ γέροι ἀν οὐ κακός;' 204 'óderint, dum metuant'; v. 30. 156. 169. 193. 204. 214. 267. 272. 422. 620. 640. 684; inc. inc. 143; Pacuvii illud 'pátria est, ubicumque est bene'; 72. 112. 128. 276. 348.

Restat, ut de alliterationis usu, quam ad elocutionem exornandam poetae adhucuerunt, pauca dicam. Cui Accium longe saepius Pacuvio ac fortasse nimis operam navasse ex sescentis, quae a Teuffelio¹⁾ collecta atque composita sunt, satis eluet exemplis; cf. Acc. v. 200 Maiór mihi moles, máius miscendúmst malum. Cf. v. 9. 13. 16. 17. 21. 23. 29. 32. 36. 50. 60. 61. 69. 80. 85. 90. 101. 109. 121. 122. 126. 128. 129. 130 sqq. Rarius et multo cautius Pacuvius eo elocutionis ornamento usus est, sed quod Ladewigius alliterationis usum a Pacuviana poesi admodum alienum esse contendit, hisce exemplis satis refellitur: v. 3. 5. 6. 12. 14. 22. 25. 44. 46. 53. 54. 56. 70. 77. 80. 82. 86. 115. 117. 118. 129. 144. 154. 156. 167. 173. 186. 198.

¹⁾ Käbing. Progr. 1858 p. 22.

212. 239. 244 sq. Quibus figuris saepe summa cum venustate et elegantia varios ille hominum affectus et ea quae mira insuetaque fiunt in rerum natura depinxit. Ita Telamonis grave atque saevum opprobrium, turbines turbulenti, mollis manus Anticleae nutritricis placide subluens unda aquarum, egregie finguntur; cf. v. 244 sq.

'Cédo tuum pedém mi, lumpis flávis flauum ut pulverem
Mánibus isdem, quibus Ulixí saépe permulsi, ábluam
Lássitudinémque minuam mánuam mollitúdine'.

Sed ut alio vertam disputationem, iam spectandae videntur utriusque poetae dicendi formae obsoletae structuraeque inusitatae; qua de re cum iam Venediger *atque Horstmannus*¹⁾ scite disseruerint, totam materiam fusius explanare supersedeo. Quoniam autem in universum, quale illa aetate fuerit genus dicendi parum perlustrare possimus, vix quisquam, quid musae tragicae proprium fuerit, pro certo affirmare ausit. Quamquam dubitarí nequit, quin in utriusque poetae tragoeidiis durtia quaedam et asperitas dictionis occurat, quam Tacitus dial. 20 atque Hor. ep. II 1. 68. aliquie poetis magno vitio verterunt, tamen cavendum est, ne poetis criminis detur, quod natura temporum ferebat. Temporum autem rationem habendam esse suo iure Quintilianus Inst. IX. 1. 97 docet, utpote quibus sermo universus admodum rudis fuerit certamque formam, constantem, politam nondum induerit. Iam vero Cicero (Brut. 20) quod reprehendit Pacuvium male locutum esse, si bene cum eiusdem poetae laudibus comparaverimus, haud dubium nobis erit, quin ad singulorum verborum neglegentiam potissimum atque ad structuras insuetas pertineant. Etenim verba insolentiora captasse illi poetae et in novis componendis maiore, quam linguae Latinae natura concedebat, audacia usi esse videntur. Atque apud Pacuvium, quamquam ille fuit multo moderatior, non minus quam apud Accium primo obtutu tot formas priscas et inusitatas et novas videmus, ut facile appareat, utrumque, imprimis autem Accium, hanc rationem dicendi adamasse et consulto adhibuisse. Sane difficultimum est Ciceronis aliorumque reprehensiones singulas singulis illustrare exemplis. Sed tamen Cicero or. 46. 155 ea de causa Pacuvium vituperasse videtur, quod saepissime genitivi pluralis formam um pro orum usurpavit; cf. v. 34. 79. 80. 81. 149. 295. 329. 381. 401. 404. 412. Quin etiam neutra, quorum genitivum pluralem Plinius ap. Serv. ad Verg. Aen. II 18 negat propter casuum similitudinem in um exire posse, saepius exhibent formam um; cf. v. 34. 135, tum adiectiva quoque et participia, cf. v. 43. 80. 102. 293. 307. Rarius hanc formam Accius admisit. Cf. v. 32. 143. 159. 165. 201. 371. 376. 424. 491. 665. — Deinde commemoro genitivum u-declinationis in i formatum. Cf. Pac. v. 70. 97. 133; Acc. 80. 151. 172. 188. 311. 435. 485. 491. 619, et nominativi pluralis formam i pro us, quae invenitur Pac. 77. Acc. 33. Omitto Pacuvium sedecies, Accium quater et vicies deponentia verba forma activa usurpasse, omitto formas quales sunt haecce: Pac. v. porcet 67. tetinerim 173. ques-es danunt 207. duis 219. 293. occisti, 321. extincti; illexe; Acc. tetinerit 38. quesdam 477. capsit 454. clepse 205, alia. Sed tales locutiones, quae non tam propriae sunt Accii et Pacuvii, quam

¹⁾ De vet. trag. R. lingua.

apud omnes fere eius aetatis et tragicos et comicos poetas inveniuntur, omnes enumerare hoc loco longum est; quare satis habeo dissertationes commemorare Horstmanni atque Venedigeri, qui eximia cum diligentia illas collegerunt. Atque de talibus potius vocabulis nonnulla dicam, quae ab aliis poetis aut omnino non, aut perraro usurpata sunt. Iam uterque poeta in novis vocabulis fingendis magna cum libertate versatus est; Accius autem imprimis ea formabat verba, quae ad fabularum suarum iudicium quadrarent atque abundantiam quandam spirarent et granditatem. Huiusmodi vocabulorum, quae ab urbana lingua prorsus aliena sunt, exeunt multa in 'tudo, tas, osus.' Atque talia quae in 'tudo' cadunt, sunt Accii castitudo v. 585, gravitudo 88, honestitudo 16. 501, laetitudo 61. 259, noxitudo 162, miseritudo 79. 178. 185, squalitudo 340, tetritudo 556, multa alia: cf. v. 69. 94. 154. 374. 355. 466. 593. 616. 6. 6; Pacuvii pauciora: genitudo v. 21, poenitudo 313, prolixitudo 124, temeritudo 149, alia: cf. v. 123. 135. 247. 264. 314.

Nova autem substantiva exeuntia in 'tas' invenimus apud Accium haec: angustitas v. 81. 504, acritas 467, grandaevitas 68. 245, magnitas 248, nitiditas 254, segnitas 108, solitas 354, vicissitas 586; 287. 352. 617; apud Pacuvium: concorditas 188, discorditas 178, famulitas 53, grandaevitas 162, tristitas 58. Accedunt complura alia Accii: errantia 469, algus pro algor 111, tonsus pro tonsura 86, dividia 152, raudus (eris) 263, grummus 506, tonsilla 573, status pro statuta, termen pro terminus, delitor 219, perlitor 301, fector 301, stabilimen 210, bicorpor 307, alia; Pacuvii: aegror, macror 275, scabres, squales 314, spectus 147. — Adiectiva eiusmodi sunt Pacuvii: saeptuosus 5, seruposus 254, tenebricus 158, gradibilis, Paul. 5, creperus 128; — egregiissima 230, incieur 386, Accii: rorulentus 294, labundus 570, fremebundus 392, aeternabilis 264, tabificabilis 421, advorsabilis 158 ex Ribbeckii coniectura, aspernabilis 555, pervicus 158, indecoris 193, florus 246. — Adverbia permulta in iter exeuntia pro e exhibent fragmenta Pacc. v. 73. 332; Acc. v. 96. 120. 174. 282. 629; alia inusitata sunt: Acc. simitu pro simul 79, cautim pro caute 78, numero i. e. *schnell* 144; Pac. perpetem pro perpetuo, unose 213, infabre 271, facul 323, properiter 333. — Verba Accii: merto 122. 134, succusso 568, lacto 60. 414, fragesco 25. 338, nanesco 162, vatesco 600, perdolisco 318, mitiseo 684, labasco 684, crebesco 276, corporare 605, exspectorare 301. 595, indecorare 459, pigrare 268, vanare 66, maestare 13, laetare 513, nitidare 603, divitare 169, eliminare 448, delicare 1, ignavare Aen. 9, nigrere 260, putrere 56, pigrere 31, flaccere 3; Pacuvii: inito 1, concento 73, matresco 162, certisco 10, adgravesco 69, mitisco 142, flaccisco 77, obrigesco 14; incertare 150, amplare 339, tetrare 303, clupeare 186, praegradare 48, restare 227 i. e. *stille stehen*¹⁾; deiugare 110, abiugare 222, repedare 400, iterare 370, lapire 276, restibilire 324, grandire 143, senere 275, putrere 346. Uterque autem poeta in fingendis verbis compositis nimia saepe audacia usus est. Huiusmodi vocabula ita sunt composita, ut primum locum teneat nomen, secundum verbum; neque aliter Plautum ea finxisse Langenus l. l. p. 167 ostendit. Talia sunt: Acc. ingratificus 364, fallacilioquus 644, taurigenus 463, hostificus 80. 82, suavisonus 572, indelictus 384,

¹⁾ Langen, Plaut p. 301.

quadrupedans 603; Pac. triportentum 387, tardigradus 2, repandirostrum, incurvicericum 408, luctificabilis 20. Rare nomen substantivum secundum tenet locum; cf. Pac. flexanimus 422. 177. Praeterea notanda sunt Pacuvii solacia 418, caprigenus praet. 5, domitio 173, graiugena 364, cornifrontes 349; Accii pinniger 547, alia. — Verba accedunt haec: Acc. orbifco 421, perfremo 403, perpedio 279. E lingua Graeca deprompsierunt poetae vocabula complura, atque Pacuvius quidem: paedagogare 192, tiasare 311, campiter 48, camilla 232, chlamys 186, hymenaeus 113, melos 312, prologium 383, mamma 193; Accius: camus 302, mysteria 527, pelagus 394, pontus 399, tropaeum 148, melos (acc. pl.) 238, lampas 331. 670, lembus 129. Affero denique nonnulla verba a poetis ipsis facta vel ex dialectis vetustissimis repetita, quae sunt Pac.: redamptuare 106, hostire, redhostire 345, baetere 227. 255, perbitere 287, exanclare 290, incitare 130, manticulari 376. 380, creperus 128, ungulus 64. 215; Accii obbitere 92, exanclare 91. 270, incitare 41. 430, supare 575, frendere 178, alia.

Quibus exemplis allatis satis appareat, quantopere Accius et Pacuvius verba antiqua et insueta noveque facta adamaverint; sane multa nimis audacter formata erant, sed profecto dubium non est, quin a scaena tragica multa vocabula postea in alium usum conversa devenerint atque sermo Latinus inde varie auctus et conformatus sit, atque valde dolendum, quod alia multa postea evanuerunt.

Ut vero ad extremum, quod mihi proposueram, veniamus, iam pauca de syntaxi utriusque poetae dicenda sunt. Atque primum impersonalia quidem verba variis cum casibus coniuncta et modo personaliter, modo absolute usurpata sunt a poetis, id quod hisce exempliis demonstretur: Piget, pudet mehe P. 144, dolet et pigret me A. 471, te mei miseret P. 198, huius miseret A. 621, miserebar mei, commiserebam te A. 355, cum ninixerint A. 101, liberi poenitebunt, lucti poenitet 491, cum acc. A. 78. 190, P. 328, veretur te tui genitoris A. 76, cuius commiseresceret. P. 391, miserarent mala illi A. 195; poenitet me, quod vernacula lingua significat es reut mich, primum apud Pacuvium invenitur 31, cum apud Plautum et Terentium significet, ich bin nicht zufrieden.¹⁾ Praeterea verba videmus praeter usum postea vulgarem aut cum variis casibus aut formis insuetis posita: obliscar Ulixem A. 487, me A. 190, facta A. 12; aequiparare Iovi P. 407, tibi A. 137; accumbam mensam A. 218; invidere Accius primus cum rei obiecto coniunxit v. 215. 424, cum Plautus et Terentius illud verbum cum solo personae obiecto coniungant; precari aliiquid ab aliquo primum apud Pacuvium invenitur;²⁾ onerare frugum et floris P. 291; vesci dapem A. 218, armis 145; P. 22; praemiis A. 591; fungi officium P. 129. 108. 419; Acc. 193, potior regnum P. 289, frugum 205, plagas A. 40, sceptrum A. 590, frugum ubera A. 49; meritus essis a nobis A. praet. 16; quitus sum impelli A. 662, potestur investigari P. 100, nequitum contendi P. 390, praesente his A. 426, porcet ut verear P. 67, multa alia.

Quod si ea quae disserui respicimus, satis dilucide liquet philosophiae studii, gravibus sententiis, verborum figuris, quae sunt allitteratio, paronomasia, asyndeton, cu-

¹⁾ Langen Plaut. p. 249.

²⁾ Langen I. I. 255. 320.

mulatio, nec minus verbis aut obsoletis aut audacter fictis omninoque locutionibus mintus usitatis utrumque poetam pariter operam navasse. Quamquam et orationis genere et tota tragoediarum indole multum illos inter sese distare iam veteres viderunt, neque quemquam, qui fragmenta eorum accuratius spectaverit, fugere poterit. Namque Accius in componendis fabulis nihil fere curabat nisi effectum tragicum, quem ut quam maxime vehementem redderet atque atrocem enixe studebat; qua in re cum artissimae totius fabulae structurae, tum elegantioris sermonis multo minus videtur rationem habuisse¹⁾ Pacuvio. Hic vero cum in scribendis fabulis plus consumeret temporis, studii, laboris, illud imprimis nitebatur, ut quas componeret tragoedias omni ex parte perfectae essent, absolutae, limatae atque singulae cuiusvis actus scaenae et inter sese egregie cohaererent et cum toto bene quadrarent argumento. Qui qua fuit cura atque diligentia in elocutione amoena quandam quaesivit elegantiam, quae Accii neglegentiores dicendi usum facile superavit. Itaque vix dubitaverim artis tragicae palmam cum Cicerone adiudicare Pacuvio, neque Ribbeckium reprehendere ausim, qui Quintiliani laudem sententiarum gravitatis, verborum ponderis, auctoritatis personarum solum ad Pacuvium spectare putat, cum optimi codices habeant 'clarissimus', non 'clarissimi'. Quo magis miror, quod L. Muellerus¹⁾ Lucilii, Persii reprehensionibus, ut videtur, commotus principem locum inter palliatae tragoediae auctores Ennium haud dubie obtinere contendit. Quae sententia et certo Romanorum iudicio (cf. Cic. de opt. gen. dic. I 2, Vell. Pat. II 9.) improbatur, et Ennii fragmentis, si bene cum Pacuvianis comparaveris, minime iuvari videtur.

Sed uterque poeta non solum ab aequalibus, sed etiam a posterioris aetatis scriptoribus summopere collaudatus est. Atque profecto quantopere de Romanorum arte tragica et lingua Accius et Pacuvius meriti sint, quem fugiat? Nam tragoedia quidem Romana illorum auspiciis pulcherrime effloruit atque ad culmen et fastigium quoddam praestantiae perducta est. Eadem vero, si principes illi non exstisset, aut in rudi per mansisset condizione, aut plane neque adulta neque maturata perisset. Fabulae autem Pacuvii et Accii quanti ab omnibus aestimatae sint, facile inde concludas, quod etiam postea non solum saepius agebantur summo applausu, id quod de compluribus constat, sed etiam lubentissime legebantur magnamque partem ab adolescentibus ediscebantur, cuius rei testis est Horatius. Verum enimvero permulti scriptores, sicut et in vernacula lingua fieri solet, saepissime versus poetarum illorum, qui vel sententiarum gravitate vel ubertate atque elegantia dictionis insignes erant, suae orationi exornandae immiscere solebant. —

Iam si quaesiveris, qualis fuerit utriusque poetae vitae consuetudo, ut fabulas scribendi ratione, ita moribus atque animo illi valde inter sese differebant. Atque Aceius quidem, ut qui acrioris esset ingenii, laude gloriaque artis suae elatus adeo animos sibi sumpserat, ut in Camenarum aede magnam sibi poneret statuam. Neque in poetarum collegio unquam assurgebat Julio Caesare viro amplissimo intrante, cum illo maiorem se atque praestantiores esse poeta confideret. — At Pacuvius mitioris erat animi atque summa semper simplicitate, ingenuitate, modestia enitusse traditur. Qui quanta in ser-

¹⁾ De Pac. fab. p. h.

mone fuerit humanitate, quam abhoruerit a quavis obtrectatione, arrogantia, invidia, Gellius N. A. 2 testatur. Idem scriptor l. l. I. 24 epitaphium Pacuvii tradidit verecundissimum ab ipso poeta conscriptum, quod cum modestum eius suavemque animum ostendat, hoc loco afferre liceat:

„Adolescens tametsi properas te hoc saxum rogat,
Ut sese adspicias, deinde quod scriptum est, legas:
Hie sunt poetae Pacuvii Marci sita
Ossa. Hoc volebam nescius ne esses, vale!“

